



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 77. Sed ut mandarent Pascha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 77. Sed ut mandarent Pascha.

Sed & illud multo magis ridiculum erat, quod ut agnum comederent (qui nihil aliud quam Christi mysterium figurabat) cavent ne inquinentur, in ipsam veritatem insaniunt. Iure igitur modo dealbata sepulchra & exterius vili quodam artificio decorata, intus autem sordibus plena eos Christus appellabat: nam cum exacte minima quærent, peccatorum maxima non videbant, & calicem atque paropside[m] exterius lavabant, de interioribus nihil omnino curabant, ideo Hieremias bene dicebat: *Lava cor tuum à malignantate Hierusalem ut salveris.*

Contemplare, oblecto Christiane, vere cauteriatam tum Pontificum tum populi Seniorum conscientiam, valde timentium vel prætorij introitu vel hominis Ethnici congressu contaminari, & interim pro nihiloducentium atroci odio in Christum innocentem debacchari? quid tali religione præposterum magis? quidve ab omni sanctitate magis alienum? si locum intrando sordidum vel hominem Ethnicum conveniendo homines contaminantur? nonne multo magis contaminari credendum est ex pravis cogitationibus quæ hominem reddunt re ipsa impurum.

§. 78. Exiit ergo Pilatus ad eos. v. 29.

Sapientior & æquior hic Pilatus quam Iudæi, homo prophanus quam Sacerdotes, poterat is dicere: si vos Iudæi subditi mei, non vultis intrare ad me, ut non contaminemini à me & meis rebus, ego quoque dedignor venire ad vos ne inquiner à vobis. Sed uti dixi magis sapuit, passione passione non oppugnavit, generose contumaciam superavit, transiit, imo vicicit, quis enim non hodie dum amat Pilatum, odit Iudæos, donec per hos seductus defecit? O pulchrum exemplum! ò factum apprime observandum! ostendens, ut non semper summo iure à subditis omnia exigamus, quæ forsitan exigere possent, sed non nihil aliquando remittatur, ut mutuum cum timore iudiciali, amorem servent. Et fateor quidem nihil iniquitatis esse in populo Dei tolerandum, maxime cum reipublicæ dispendio: ac tamen moderati Magistratus & vere prudentis officium est non omnia ad unguem rimari, sed non nihil iuxta temporis varietatem remittere: Ita esse faciendum Regi Roboam consuluerunt seniores populi dicentes: si hodie populo lenia loquutus fueris verba, ipse cunctis diebus tibi serviet. Quare Paulus ait nolite fratres ad iracundiam provocare filios vestros: Ecce & hic discretionem Iudicis & Præsidis Hierosolymitani, & prudentiam politicam, qua cedit Pilatus parumper Iudæis, ut veritatem indagaret de subdito captivo, ne iniuriam faciat.

Aequis